



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Quas superstitiones ægrorum reprehendat S. Chrysostomus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

manu sinistrum pollicem teneas. His adjungunt millia inanissimarum observationum. si membrum aliquod salierit, si junctim ambulatibus amicis, lupus, aut canis, aut puer medius interuenerit. Denique quid est, in quo aniculæ, ut scire aliquid videantur, non excogitent supersticiosam aliquam medicinam? Ita insaniunt, ut omnes sanando, sanent nullum.

S. Augustino assonat S. Chrysoftomus, qui insuper & modum exaggerat eorum, qui Dei nomen admiscunt, quo decipiunt quorundam simplicitatē. Ita enim talibus remedijs utentem alloquitur: *Non ligaturas verò tantum, sed etiam excantamenta tibi conducis, vetulas ebrias, & titubantes in domum agens. Nec confunderis, nec erubescis, post tantam ad hæc trepidans disciplinam: & quod grauius est, errore, quando hac admonemus, & dissuademus, putantes se excusari, dicunt: quòd Christiana est mulier hac excantans, & nihil aliud loquitur, quàm DEI nomen. Propterea namq; magis ipsam odi & auersare, quòd DEI nomine ad contumeliam utitur: quòd se dicens esse Christianam, gentilium opera facit. Etenim & demones Dei nomen fatebantur, sed tamen erant demones, & ita Christo dicebant: Nonimus te, quoniam es Sanctus DEI, & tamen ipsos increpauit, & eiecit. Quare non idcirco remedium aliquod sanctum est, quia sancta admiscuntur, sed quia sanctè usurpatur. Immo tantò maius flagitium est, si sacra sacrilegijs profanentur. Quid enim indignius, quàm ut crux, nomen DEI, ipsum corpus Christi, ad perniciem animarum adhibeatur, & diuina bonitas cogatur seruire malitiæ atque artibus diabolorum?*

Itaque hi tales, qui eiusmodi remedia vel quærunt, vel admittunt, alijs remedijs indigent, ne ad illicita remedia anhelent. Quorum primum est, valde hoc peccatum Deo displicere quod & tam seuerè prohibuit. *Non declinetis, inquit, ad magos, Leuit. 19. 31. nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester.* Et alibi, ubi eadem, repetit, ait Scriptura: *Omnia hæc abominatur Dominus. Quæ sæpius repetit. S. Paulus, Deuter. 18. 10. Nolite locum dare diabolo, ait: & rursum: Nolo vos socios fieri demonum. Dant autem locum diabolo, & socij fiunt demoniorum. S. Chrysoft. rum, quicumque artes diabolorum usurpant, ut sanentur. Sile. orat 5 aduers. ni aliquo morbo ceterat, illico resiliens à Domino, ait aureum os, ad da. ludzos.*

III.
S. Chrysoft.
hom. 21. ad
pop.

IV.